

esse mutatus sit. Præsupposito autem, mundum cunctaque in eo existentia à DEO producta esse, quæstio est: Undenam verò producta sint? Non est, ut Idealistarum, qui dicuntur, mentionem heic faciamus, quippe qui, solis admissis substantiis spiritualibus, materialis mundi corporumque in eo omnium existentiam realem negantes, eamque pro meris entibus rationis, seu ideis à mente spirituum sibi repræsentatis habentes, extra controversiam nostram sunt. Nam cum iis, qui sensu indigent, seu ad sensum patentia negantibus, disputandum non esse, cum frustranea omnis adversus eos disputatio foret, Philosophi docent, ARISTOTELES *Topicor. Lib. I. Cap. 9. al. Cap. II.* HEDIO *Organ. Aristotel. Part. I. Lib. I. Dialect. Cap. I. §. 6.* Disputandum igitur cum iis in præsentibus nobis est, qui mundum hunc contentaque in illo corpora admittunt pariter atque nobiscum præsupponunt. Neque nunc cum Philosophis Gentilibus æternam quandam mundi materiam asserentibus speciatim nobis res erit. Ad eos potius respicimus, qui Christianorum in numero haberi cupiunt, & infallibile DEI Verbum licet habentes, nihilominus de generali mundi ortu falsam opinionem foverunt, creatione ex nihilo negatâ, DEoque pro subjecto, ex quo creaturæ prodierint, venditato. Licet enim de origine mundi nos satis clarè atque sufficienter sacris sacrarum Literarum Codex edoceat; Spinozismus tamen atque Fanaticismus ab hac clarissimâ divinâ luce avertere ac in densissimas Gentilium Philosophorum tenebras torquere oculos mentis amant longèque sibi convenientius ducunt. Ut igitur creatio mundi ex nihilo negaretur, DEum confinxere subjectum, ex quo res in mundo existentes prodierint, quanquam in modo hujus earum ortus explicando non exactè conveniant: quamobrem utrumque seorsim audire juvabit.

§. VII.

SPINOZA *Append. ad Ethic. part. I. Opp. Posthum. p. 34. 35.* præjudicia, quæ maximè impediunt, quò minus homines rerum concatenationem eo, quo ipsam explicuit ipse, modo amplecti